



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 20. Circa Eucharistiæ Effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

Seccio II. De Eucharistia, Problemata. 83

CAPVT XX.

Circa Eucharistia Effectus.

PROBL. CXV.

Eucharistia confert, & non confert habitua-
lem gratiam, cum primum est
in ore Sacramentum.

470 **I**DEMVS section. 1. quatuor
Eucharistia receptae enumera-
re effectus, infusionem gratiae,
spiritualem refectionem, praefer-
uationem à peccatis, fomitis re-
fectionem. Et quidem infusio gratiae habitua-
lis communis est omnium Sacramentorum effe-
ctus: tres alij pertinent ad gratiam Sacramen-
tem Eucharistia, per quam auxilia robusta con-
feruntur ad excitandum, & augendum charita-
tis feruorem contra tentationes, ac culpas om-
nes, vt peditamus in vitâ gratiae, qui proprius
est nutritionis effectus. Itaque circa tempus
actualis sumptionis, quaerimus, an Eucharistia
conferat gratiam habitualement, cum primum est
in ore Sacramentum?

471 **C**onfert Eucharistia habitualement gratiam,
cum primum est Sacramentum in ore. Quia iam
tunc dicitur manducari: sed manducanti gratia
promittitur: Ergo tunc temporis gratia praestatur.
Sic quidam Theologi, quos pressio nomine,
memorat Franc. de Lugo de Sacra. l. 4. c. 4. n. 6.

472 **N**on confert Eucharistia gratiam habitua-
lem, cum primum in ore versatur. Quia tunc
non dicitur manducari: sed cum Hostia traui-
citur ad stomachum secundum aliquam par-
tem continentem totum Christum. Itâ Suar. d.
63. sect. 4. Coninch. q. 79. a. n. 22. Henriq. lib. 8.
c. 43. Bonac. d. 4. q. 4. p. 2. Diana p. 3. r. 6. resol.
96. Card. de Lugo d. 12. sect. 2. Martinon tom. 4.
d. 34. sect. 2.

473 **P**laacet Gabrieli Vsq. d. 203. c. 2. sententia
afferentis, ignotum esse nobis, & soli Deo cog-
nitum, quoniam tempore, vel instanti gratia per
Eucharistiam conferatur. Vnde in re lubrica iu-
dicatio probabilius, gratiam conferri, vel cum
primum Christus guttur irreuocabiler attingit,
ita vt naturaliter iam extra hi non valeat: vel
cum primum attingit stomachum. Nam hæc
manducanti promittitur, Ioan. 6. Poreft autem
manducatio sumi vel in fieri, dum Hostia per
guttur traicitur, & peruenit ad terminum, vnde
nequeat ad os reuocari, vel in facto esse, quando
primum recipitur in stomacho secundum ali-
quam partem. Nam qui sic recipit Eucharis-
tiam, propriè dicitur manducare. Quare credi-
derim, si quis diu in ore retineat species, donec
inibi corumpantur, vel eliciantur, prius quàm
deglutiantur, eum Sacramenti fructum non ac-
cipere: quia verè non manducauit. Secus ef-
fet, si postquàm species in stomacho exceperit, il-
las euomit, quod enim euomitur, dicitur fuisse
manducatum.

PROBL. CXVI.

Quis sacrilegè communicauit indignus in
parte primâ sumptionis, & durante
sumptione, respicit itâ vt aliquam par-
tem ritè dispositus acceperit: Hic reci-
pit, & non recipit Sacramenti effe-
ctum.

474 **M**inimè recipit gratiam. Quia iudicium ex
Apostoli sententia manducauit. Non est
autem æquum, vt quis per eandem refectionem
pariat sibi iudicium & gloriam. Quare Patres
huic Eucharistiam aiunt esse mortiferam, ne
dignum reputant, vt ex vi receptionis initio sa-
crilegè vllus ei gradus gratiae postmodum con-
feratur. Sic Henriq. l. 8. c. 43. Bonac. d. 4. q. 4. p. 2.
Vasq. d. 203. c. 2.

475 **R**ecipit proculdubio gratiam. Quia adhuc Sa-
cramentum in sui manducatione reperit subie-
ctum ritè dispositum. Et quidem si prior sum-
ptio non praecessisset, sequens effectum subiecto
di sposito exhiberet. Quod autem prior praeces-
serit, non impedit: quia peccatum in illa com-
missum per poenitentiam potuit deleri. Itâ Ca-
lier. Valent. Nufius, Reg. in. apud Bonac. citatum.
Suar. d. 63. sect. 4. Coninch. q. 79. n. 22. Martinon
tom. 4. d. 34. sect. 2.

476 **C**etè cum Sacramentum, licet totum sit in
priori sumptione, totum etiam in posteriori adsit
eandem retinens virtutem: poterit etiam tunc
suum effectum producere. Consentunt Villa-
lob. tom. 1. r. 7. diff. 31. & Diana p. 3. r. 13. ref. 29.
quando Sacerdos post Hostiae sumptionem cum
obice, ante Calicis sumptionem conuertitur: vel
si quis sumens duas formulas ante sumptionem
secundæ contritionem eliciat. Nam ibi datur
sumptio moraliter distincta.

PROBL. CXVII.

Quis dignè communicans post acceptam
gratiam in prima particula sumptio-
ne iuxta praesentem dispositionem, me-
lius disponitur per intensiorem, aut
perfectiorem actum, dum adhuc durat
sumptio. Hic recipit, & non recipit ma-
iorem gratiam ex opere operato.

477 **N**on recipit gratiam ex opere operato maio-
rem. Quia tota gratia ex opere operato pri-
mo manducationis in instanti confertur. Sic
Henriq. l. 8. c. 43. Martinon tom. 4. d. 34. sect. 2.

478 **M**aiorem gratiam ex opere operato recipit.
Quia Sacramenta conferunt gratiam iuxta re-
cipientis dispositionem. Itâ Suar. dist. 63. sect. 4.
Coninch. q. 79. n. 28. Filliuc. r. 4. n. 172. Franc.
de Lugo de Sacra. l. 4. c. 4. m. 7.

479 **I**n casu posito adhuc durat vis actiue Sacra-
menti, & sufficiens eius applicatio dum sumptio
durat. Ergo, si meliorem inueniat dispositionem,
maiorem gratiam ex opere operato produceret.
Ideo sententiam hanc probabiliorē esse iudico.

ESCOBAR
Theol. Moral.
Tom. II. IV.
F. IV.

PROBL. CXVIII.

Dum species Sacramentales in stomacho perseverant, producant, & non producant adhuc uberiorem gratia effectum.

480 *Producit.* **P**roducant toto tempore, quo species in stomacho durant maiorem gratia fructum. Quia sufficiens cum dispositio persistat operatorum Sacramentum otiosum non existit. Sic Caiet. 3. p. q. 79. a. 1.

481 *Non producit.* Si dispositio non melioratur gratia ex vi Sacramenti minime augetur. Quia cum Sacramentum agat ad modum naturalis agentis, in primo instanti producit totum, quod potest iuxta praesentem dispositionem. Ita Suarez *dist. 63. sect. 7.* Coninch. *qu. 79. n. 41.* Filliuc. *tract. 4. n. 175.* Vasq. *d. 112. n. 4.* Henriq. *l. 8. c. 43.* Bonac. *d. 4. q. 4. punct. 2.*

482 *Hoc verum.* Existimo minime augeri Sacramenti effectum, dum dispositio non variatur. Idcirco hanc veram reor esse sententiam. Problem. proximo roborabo.

PROBL. CXIX.

Cum dispositio recipientis Eucharistiam, melioratur, dum species Sacramentales in stomacho durant, augetur, & non augetur gratia ex opere operato.

483 *Minime augetur.* **M**inime augetur. Quia nec ex institutione huius Sacramenti, nec ex Ecclesiae traditione constat talis vis Eucharistiae, siue talis Christi Domini voluntas circa ipsius effectum. Sic Vasq. *d. 203. n. 20.* Bonac. cum aliis *d. 4. q. 4. punct. 2.* Filliuc. *tr. 4. n. 175.*

484 *Augetur quidem.* Augetur profecto. Quia promissio gratiae, praecipue facta fuit huic Sacramento ob Christum manducatum, non ratione solum manducationis sed termini manentis, & quasi per illam applicati, ut indicat Dominus, *Ioan. 6.* & August. *ibi tract. 26.* Ergo dum hic panis vitae manet in nobis, efficax erit ad producendam gratiam iuxta subiecti dispositionem. Quare si dispositio melioratur, crescat pariter effectus ex opere operato sicut meritum ex opere operantis increvit. Ita Suarez. *d. 63. sect. 7.* Coninch. *q. 79.* Ylambert. *3. p. q. 79. d. 3. art. 2.* Card. de Lugo *d. 12. n. 46.*

485 *Haec pars probabilior.* Hanc partem probabiliorē puto. Hincque sequitur per se loquendo, communicantem non recipere maiorem gratiam ex eo, quo maiores, aut plures Hostias absunt: aut quia diutius in his fumendis, aut digerendis haeret; sed ratione melioris dispositionis. Fateor tamen longiorem moram sumptionis, aut digestionis per accidens posse esse occasionem maiorem gratiam accipiendi, quatenus interim plures, ac perfecti ores quis charitatis elicit actus. Sequitur deinde, si quis indigne communicavit, & postea dum species permanent in stomacho, sufficienter ad gratiam disponatur, eum vere fructum Sacramenti esse percipientem. Lege Martinonem *tom. 4. d. 3. sect. 2.*

PROBL. CXX.

Vtraque species simul confert, & non confert recipienti maiorem gratiam, quam seorsim singula.

Vidimus supra, communicantem recipere novum gratiae augmentum, si communicans sub vtrâque specie post receptionem speciei panis, melius ad receptionem speciei vini disponeretur. Quasi tamen, an etiam in variata dispositione, praecise ratione Sacramenti maiorem gratiam recipiat communicans sub vtrâque specie, quam sub altera tantum? Recipit profecto. Quia Sacramenta novae legis efficiunt, quod significant: Sed Eucharistia non solum in ratione Sacrificii per duplicem speciem significat separationem sanguinis à corpore Christi patientis; sed etiam in ratione Sacramenti significat perfectam rationem coniunii sub cibo & potu: quorum quilibet suo particulari modo reficit, & ad nutritionem conducit; Ergo quilibet species quatenus huius Sacramenti pars est, suam diversam habet significationem, ac subinde suam peculiarem efficaciam, alioquin inanis esset illius significatio, quae non semper in recte disposito produceret effectum, quem significat. Sic Alenf. Casallus, Arboreus, quos sequitur Vasq. *d. 215. c. 2.* Praepos. *qu. 80. art. 12. dub. 3.* Merat. *d. 33. sect. 4.* Martinon *d. 34. sect. 3.* Card. de Lugo *d. 12. sect. 3.* Videtur hanc sententiam amplecti Clemens VI. qui concedens Regi Gallicae anno 1341. communicandi sub vtrâque specie privilegium, subdit: *Ad maiorem gratia augmentum.*

Minime recipit. Quia gratia promittitur communicanti, quatenus recipit Christum panem vivum, fontem bonorum omnium, refectionem animarum perfectissimam: sed Christus tam perfecte continetur, & sumitur sub singulis speciebus, ac sub vtrâque simul: Ergo cum aequali dispositione parem recipiet gratiam, qui sumit unam speciem, ac qui sumit vtramque. Ita D. Thom. *3. p. q. 80. a. 12. ad 3.* Bonavent. Richard. Gabr. uterque Sotus, & alij, quos sequitur Suarez. *dist. 63. sect. 6.* Henriq. Bellarm. Coninch. quos sequitur Bonac. *d. 4. q. 1. punct. 4. n. 5.* Fagund. *prae. 3. l. 4. c. 4. n. 4.* Franc. de Lugo *de Sacram. l. 4. c. 4. n. 13. 14. & 15.*

Hanc eligo sententiam. Licet enim vtrâque species significet aliquammodo perfectius gratiam, quatenus magis integram exprimit refectionem: tamen perfectiorem refectionem, seu gratiam non significat; quia res significata, quae reficitur animus, est eadem omnino. Vtrâque pars probabilis, sed hanc ut probabiliorē eligo. Lege Dianam *part. 3. tractatu 6. resolutione 97.*

PROBL. CXXI.

Eucharistia confert per accidens aliquando, & non confert primam gratiam.

Non confert. Quia hoc Sacramentum est institutum per modum cibi, ac spiritibus nutriti quoniam.

Seccio II. De Eucharistia, Problemata. 85

nutrimenti. At cibis necessariò expositulat, sumentem vivere: non enim mortuum nutrire potest. Ergo hic cibis spiritualis necessariò supponere debet, sumentem vivere spirituali vita, ut spiritaliter illum nutrire, ac roborare possit. Et quia Eucharistia instituta non est ad remittenda peccata mortalia, sed ad remittenda venialia, & præservandum à mortalibus, ut ait Tridentin. sess. 13. capite 2. Si igitur primam gratiam aliquando conferret, ad remittenda peccata mortalia esset institutum; non enim hunc effectum aliunde, quam ex institutione potest habere Sacramentum. Sic Bonau. in 4. dist. 9. art. 2. q. 3. Gabriel. ibi, qu. 2. art. 2. concl. 1. Vasq. d. 205. c. 4. Hurtad. d. 8. diffio. 8. & plures apud ipsam.

490 Aliquando hoc Sacramentum primam gratiam confert, & peccatum mortale remittit: vitium enim delictum cum peccator ad Sacramentum suscipiendum accedit attritus credens esse contritum vel ignarus sui peccati suscipit Sacramentum attritione cognita. Quia Christus Dominus Sacramenta omnia instituit efficacia ad conferendam gratiam non ponenti obicem. At peccator attritus credens esse contritum si suscipiat hoc Sacramentum, obicem gratiæ suscipiendæ non ponit. Ergo. Minor probatur. Non ponit obicem ob peccatum in communione commissum, quia hoc nullum est, cum bona fide Sacramentum suscipiat; neque etiam ponit obicem ob peccatum antea commissum, siquidem illius attritionem habet, quâ posita, divinam bonitatem decet, Sacramenta efficacia esse ad gratiam suscipiendæ conferendam. Ità D. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. & 8. Valent. tom. 4. d. 6. q. 5. p. 1. Coninch. q. 79. art. 3. n. 5. 2. Suarez d. 6. 3. sect. 1. Bonac. d. 4. q. 4. p. 1. Caltr. Pal. 10. 4. r. 2. 1. p. 1. n. 3. & alij plures.

491 His hæreo, & fateor, hoc Sacramentum esse institutum per modum cibi non solum nutritis, sed & etiam aliquando vivificantis, in quo à cibo materiali longè distat. Cum enim media, gratia hoc Sacramentum nutriat, & hæc nata sit vivificare, non est mirum, quod aliquando ex accidenti vivificet. Neque inde fit, esset Sacramentum mortuorum: quia ad vivificandum non est per se, sed per accidens institutum. Cum verò Trid. afferit præcavere à mortalibus, & venialia remittere, loquitur de effectu per se huius Sacramenti, non de effectu qui ex accidenti contingit.

PROBL. CXXII.

Ut augmentum gratiæ recipiat qui Eucharistiam sumit, requiritur, præter statum gratiæ, devotionis affectus.

492 Requiritur aliquis devotionis affectus. Quia ut quis cibo corporali nutriatur, necessarium est, quod vitaliter concurret, & cooperetur: Ergo ut quis spirituali Eucharistia cibo nutriatur, necessum est, ut vitaliter concurret, aliquo adhibito devotionis affectu. Et quia si actualis aliqua devotio necessaria non sit, innumeri Sacerdotes, qui in statu gratiæ Sacramentum sumunt, ingēs quoddam, & incredibile gratiæ obtinissent sine devotione augmentum quotidie. Esch. & Mend. Theol. Moral. T. III.

Missa sacrificio operam gerentes. Sic Alexand. 4. p. q. 10. membr. 8. art. 3. D. Thom. in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. quæst. 11. 13. Durand. q. 4. Palud. q. 1. art. 2. Caiet. q. 79. art. 1. Antonin. 3. p. i. r. 13. c. 6. Sylvest. v. Eucharistia.

In suscipiente Eucharistiam præter statum gratiæ nulla alia actualis devotio requiritur ad recipiendum gratiæ augmentum ipsius Eucharistiae virtute. Quia Concilium Tridentin. sess. 13. cap. 3. præter gratiæ statum nullam aliam requirit dispositionem, quam, si necessaria esset, absque dubio requireret. Et quia aliàs Ecclesia inutiliter, & indignè antiquis Eucharistiam parulis administrasset: & nunc iis, qui post rationis usum incidunt in amentiam: quia paruli, & amentes nequeunt actualem aliquam devotionem elicere. Ità D. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. Coninch. quest. 79. art. 1. dubio 1. Reginaldus lib. 29. cap. 6. quest. 3. Bonac. dist. 4. quæstione 6. puncto 1. Hurtad. de Eucharistia distinction. 7. difficultate 3.

494 Hoc mihi certum. Nam aliàs qui absque actuali devotione Eucharistiam reciperet, peccaret lethali, quia illius impediret effectum, cuiusque efficacitatem omnidò hebetaret. Qui ergo in statu gratiæ absque actuali devotione recipit Eucharistiam, non solum recipit gratiæ augmentum, sed nullatenus peccat; quia non frustrat Eucharistiae efficacitatem.

PROBL. CXXIII.

Virtute Eucharistia præter unionem animæ cum Deo factam medio gratiæ augmento, fit etiam, & non fit unio aliqua inter carnem susipientis, & inter carnem Christi.

495 Præter unionem spirituale animæ cum Deo, mediante augmento gratiæ virtute Eucharistiae collato, nulla alia reperitur unio inter carnem Christi & carnem dignè susipientis. Quia si unio aliqua virtute Sacramenti huius daretur, esset quasi inter materiam & formam: vel tanquam inter agens, & passum: nulla enim alia potest excogitari. Sed nequit esse quasi inter materiam & formam; quia ex carne susipientis, & ex carne Christi non resultat aliquod tertium compositum tanquam ex partibus, sicut ex materia, & formâ resultat. Neque esse potest tanquam inter agens, & passum; quia neque ex carne Christi sub speciebus, neque ex speciebus ipsius derivatur aliquid in carnem susipientis & quamvis derivaretur, non esset sufficiens ad unionem realem inter carnem illius, & carnem Christi. Nam ex solis plures effectus in hæc inferiora derivantur, & tamen cum illis realiter non vnitur. Sic Doctor. Complut. (ut refert Vasq. d. 204. c. 1. contra Cardinalem Mendoza, qui in publicâ cõcone docuit oppositum. Damasc. l. 4. de fide, c. 14. Pseudo Cyprian. ser. de Cænâ Do.

496 Virtute Sacramenti Eucharistiae non tantum fit unio spiritualis animæ susipientis cum Deo, & cum animâ Christi per affectum ratione aug-

menti gratia, & charitatis collata Sacramenti virtute; sed etiam fit peculiaris unio realis inter carnem Christi, & carnem dignè fuscipientis: quæ etiam corruptis speciebus, & non manente Christo secundum substantiam in stomacho, perseverat. Ratio est, quia Christus Ioan. 6. profatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Quod de permanentia, seu unione animæ & corporis Patres exponunt. Nam particula *Qui* pro toto homine supponit. Hoc proculdubio tradunt Hilar. l. 8. de Trin. Chrys. hom. 46. in Ioan. Ciril. Ierosol. catech. 4. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 14. Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 14. Irenæ. l. 4. aduer. heres. cap. 34. Leo I. epist. 3. Innocent. III. lib. 4. de mystic. Missæ, cap. ult. Omnes præterea Patres assignant peculiarem unionem, realem inter carnem Christi, & carnem dignè fuscipientis Sacramentum Eucharistiæ tanquam peculiarem eius effectum: & contendunt, hanc unionem tandiu perseverare, quandiu dignè fuscipiens in gratiâ perseverat. Ita Rophenl. l. 4. contra Ecolampad. c. 21. & 32. Osius in conf. cathol. c. 42. Bellarm. l. 1. de Euchar. c. 28. Suar. d. 64. sect. 3. Vasq. d. 204. c. 2. Hurtad. d. 8. diff. c. 4.

497
Idem assero.
Expono doctrinam.

Idem asserens doctrinam expono. Peculiaris præfata unio inter carnem Christi, & carnem dignè fuscipientis Eucharistiæ proveniens specialiter ex digna illius sumptione, & tandiu perseverans, quamdiu fuscipiens in gratiâ perseverat adhuc post specierum corruptionem: non est unio aliqua physica, sed unio quædam moralis similis unioni morali, quæ est inter corpora coniugum provenientem ex copulâ absque irreuerentiâ, & iniuriâ ab uno in alterum factâ, ratione cuius fiunt una caro & unum corpus: quia sicut coniuges non solum fiunt una caro physice ratione copulæ quomodolibet adhuc iniuriôsè habitæ, nam fiunt principium physicum unius carnis & prolis: sed etiam fiunt una caro moraliter ratione copulæ inter ipsos liberè & absque iniuriâ habitæ, quia hæc coniunctio tam intima liberè, & absque iniuriâ habitæ exigit moraliter, ut unus coniux carnem alterius quasi propriam respiciat, habeat, & tractet: & è contra: Ita etiam ex eo quod Christus in Eucharistiâ carnem suam liberè communicet fuscipienti tanquam cibum, quo specialiter nutritur, & eam dignè fuscipiens illam intra suam carnem & viscera liberè fuscipiat absque iniuriâ & irreuerentiâ in Christum: caro Christi, & caro dignè fumentis illam fiunt una caro, & unum corpus non physice, sed moraliter; nam hæc tam intima coniunctio liberè, & dignè facta exigit moraliter, ut Christus carnem nostram, intra quam ipse, & caro ipsius ut cibis spiritualis liberè & dignè fuscipitur, habeat quasi pro-

priam, & eam quasi propriam tractet; & è contra, ut dignè fuscipiens Eucharistiæ carnem Christi, quam intra se liberè ac dignè recipit, eam habeat & tractet ut propriam. Nihilominus unio hæc quamvis tantummodo sit moralis, dicitur à Patribus realis, naturalis, & substantialis; quia non fit ratione solum affectus, sed etiam ratione receptionis realis carnis Christi secundum rem, & secundum naturam, & secundum substantiam intra nos; & ob hanc unionem moralem inter carnem Christi & carnem nostram provenientem ex dignâ Eucharistiæ fuscipione, Sacramentum Eucharistiæ à Patribus Communio dicitur. Perseverat autem hæc moralis unio post corruptionem specierum, quandiu dignè fuscipiens accepta perseverat in gratiâ. Quia quandiu in eâ perseverat, caro dignè fuscipientis digna est, ut mixturem præcedentem cum carne Christi à Christo quasi propria tractetur: non ita post gratiæ amissionem.

PROBL. CXXIV.

Eucharistia in hac vitâ producit, & non producit in corpore fuscipientis dignè aliquam qualitatem.

Sacramentum Eucharistiæ producit in dignè fuscipientis corpore, in hac vitâ, quandam qualitatem, ratione cuius corpus illius Christi corpori unitur, & ad immortalitatem præparatur. Quia qualitas huiusmodi necessaria est ad unionem, & ad præparationem à Patribus expressam. Sic Recentiores nonnulli, quod præf. nomine memorat Gaspar Hurtad. de Euchar. d. 8. diff. c. 6.

In corpore dignè fuscipientis Eucharistiæ nihil in hac vitâ producit ad præfata munia. Quia qualitas hæc absque fundamento fingitur; nam necessaria non est ad assignatam, Problem. præcedenti, unionem realem inter carnem Christi, & carnem dignè fuscipientis: quia tantum est moralis: neque est necessaria, ut caro nostra ad immortalitatem præparetur; nam tantum præparatur mediâ, quia scilicet Eucharistia est causa gratiæ quæ est ius ad gratiam animæ, ad quam debito congruitatis corporis gloria consequitur: & quia est causa perseverantiæ in gratiâ, ad quam consequitur animæ gloria, ad quam corporis gloria consequitur. Ita Suar. d. 64. sectio. 1. Vasquez d. 204. numero 28. Coninch. questio. 79. articul. 8. Hurtad. citat.

Secundam sententiam veram esse crediderim, primam vero reiiciendam ut quæ debili admodum fundamine nititur.